

nostri hereditario iure debentur, humiliter vobis supplicamus, ut pro remedio animarum fratrum vestrorum et pro dei amore et vestro honore iusticiam nobis faciatis et hanc nostram inveteratam querimoniam quocumque modo seu cum bona gratia seu cum iusticia componere dignemini. Quacumque compositione nobis dignamini offerre^v, hanc secundum beneplacitum vestrum libenter admittimus et, si alterum nostrum aut utrumque ad vos^w venire precipitis, veniemus. Sunt quidam stulti adolescentuli consanguinei, quidem sunt tamen a longe nostri, qui eadem patruelis nostri bona sibi usurpare^x conantur, quibus nos facile silentium inponemus, et ne vobis de hac causa importuni aut molesti esse umquam debeant efficiemus, si modo aliquam dignam vestro honore compositionem, ut dictum est, nobis offerre dignamini. Et rescripto vestro cerciores fieri mereamur, quid de his placeat pietati vestre, mi domine, intime rogamus. Dierum antiquorum et pristinae familiaritatis vos non ausim commonefacere. Pretereo magistri rigorem conversum fuisse in paternum amorem, pretereo nomen discipuli conversum fuisse in nomine filii propter vestram simplicitatem et mansuetudinem et pietatem et devotionem obedientię et observationem discipline, tum vero propter optimum ingenium et discendi studium. Hęc omnia pretereo neque enim horum vos iam meminisse dignamini, quia forsitan ita est, ut aiunt vulgo: honores mutant mores. Forsitan ita est, ut ait princeps eloquii Romani Tullius auctor: *Eos, qui antea commodis fuerint moribus, prosperis rebus immutari, sperni ab his veteres amicitias, indulgeri novis*⁴⁰, quod tamen ad vestram personam minime retulerim, quod numquam de vestra probitate et pietate suspicari velim. Nescio an adhuc ad noticiam vestram pervenit de domino N.⁴¹ preposito optimo et incomparabili viro, qui vester cognatus fuit, qui nos in puericia honeste et dulciter educavit. Ipse anno preterito nostram religionem, cuius servandissimus semper extitit, nostram, inquam, disciplinam, quam ab adolescentia sua studiosissime et religiosissime excoluit, secum pro dolor morte sua pene totam abstulit, qui fuit amor et deliciae humani generis, vir totus, ut ita dicam, ex virtutibus factus, qui utinam aut non natus aut non mortuus fuisset. De quo idcirco hęc vobis scripsi, ut eius semper in bono memores sitis. Omnipotens deus longitudine dierum et

v) korrigiert aus offerce Hs.

w) nos Hs.

x) korrigiert aus usurpantur Hs.

40) Cicero, *Laelius de amicitia* c. 15 (54). Zu einem Bamberger Textzeugen vgl. Hartmut HOFFMANN, *Bamberger Handschriften des 10. und 11. Jahrhunderts* (MGH Schriften 39, 1995) S. 176f.

41) *Bamberger Dompropst Udalrich* (1143 – gest. 1164 Januar 4).